1663.

15

NARRATIO
COMPENDIOSA
RERVM OMNIVM QVÆ ACCIDERVNT
super cõfirmãdis à SũmoPõtifice Regni Lusitani Episcopis
ad nominationem
SERENISSIMORVM REGVM
JOANNIS QUARTI
recordationis gloriosæ Principis
ET ALPHONSI SEXTI
NVNC REGNANTIS
Quem Deus opt. max. tueatur ac fortunet.

10



T primùm Serenissimo Regi Joanni quarto, felicis memoriæ Principi, acclamatio populorum coronam restituit, nihil ille, post initam regnorum firmatamque possessionẽ, habuit antiquius, quàm ut Michaëlem à Portugalliâ Lamacensem Episcopum, à priuatis Status cõsilijs, in Legatum extra ordinem Româ mitteret; qui regiæ Majestatis nomine, debitum Sancto Patri Urbano octavo Ecclesiam Dei tum moderanti exhiberet obsequium, unàque ab eodẽ confirmari Episcopos postularet, quos Rex ipse nominaverat, pro formâ & usu erga Serenissimos Reges Lusitaniæ maiores ejus à Summis Pontificibus observari solitis. Quũque locus dubio relictus nõ videretur, quin præstito venerationis officio admittendus esset Legatus, sicuti fas & jus petebant, in sociũ itineris additus est ei Doctor Pãtaleo Rodericius Pacienus, à Consilijs Regis, & à generali Censorij S. fidei Tribu-

bunalis; uti, quandocunque Episcopũ reverti cõtigisset, Romanã ille in urbe interim remaneret, donec eò alius mitteretur, ordinarij Oratoris munijs defuncturus.

Ingresso Romã Episcopo tantâ repentè vi Castellana factio obstitit, ut Pontifex negaverit locũ esse admissioni, causatus etiamnum diei haud quaquam firmũ esse novi Regis statum; jactantibus Castellanis ac famã spargentibus, futurũ esse propediem, ut ditio Lusitana in potestate ipsorũ denuo redigeretur. Adeoque impotẽter animis eorum superfudit se audacia, ut Marchio Velesius Philippi Regis Legatus, inaudito utique exẽplo, & maximâ cũ omniũ offensione, Episcopũ publicè interficere attẽtaverit, posthabitâ dignitatis viri ratione, calcatâ Pontificis, ad quẽ fuerat delegatus, autoritate, debitâque sacræ tiaræ reverentiâ: quod scelus executurus, in vico urbis frequẽti ac luce palàm in Episcopũ ferociter invasit, cõpluribus septus ex cõposito armatis, quorũ violentas manus sacer Antistes, non sine miraculo, declinavit. Quumque cædes inde haud paucæ sequerentur, teterrimi tamen facinoris autoribus tam graviter peccavisse impunè fuit.

Verùm Episcopus hac insolẽti atrocitate nequaquã deterritus, integro etiamnũ anno perseveravit æquitati postulatorũ insistere, argumentis, legibus, Cõciliorum decretis exẽplisque nitentium; quæ omnia varijs in libellis prælo mãdatis fusiùs exposita sunt. Ad extremũ, quum ille animadverteret præclusos sibi omnes ad Pontificẽ aditus, in regnum revertit, non auditus, non admissus ut de causæ nostræ justitiã differeret, ne quidem privati habitu; priùs tamen quàm Romã excederet, & jus Regis nostri & obsequiũ, quod Christi Vica-

rio præstiturus urbem petierat, scripto protestatus est.

Diligenti porrò curâ instare haud desijt inclytus Rex Joannes, iteratis ex ipsius parte supplicibus libellis, quamdiu Ecclesiæ administratio penes Urbanum octavũ fuit; quo vitâ semel functo, à sancto Patre Innocentio decimo, in demortui locum Apostolicæ sedi admoto, petitũ est, Lusitani Regis nomine, uti copia ei fieret, Legationem in obsequij reverentis officium adornandi: Quâ penitus negatâ, Christianissimi Regis Oratori, qui hanc ipsam facultatem pro parte utriusque Majestatis suppliciter popoſcerat, respondit Pontifex, nullo se passurum modo, ut Joannis Regis Legatus in Curiam romanam admitteretur; quippe violentã Castellæ factionem esse magis pertimescendam, quàm rebus Lusitanis medendi necessitatem.

Sed enim Capitulorum Lusitani Cleri ordines, quũ & annorum lapsu, & paucorum, qui supererant, Episcoporum obitu, damna statui Ecclesiastico in dies magis exitiosa gliscere cernerent; sacerdotalis virum dignitatis, nomine suo mittendi Romã, consilium cepêre, opinione inducti, usurum aliâ mente diversâque sententiâ Pontificem, neque fore locum excusationi, quominus is admitteretur, quem ordo ipsiusmet Ecclesiæ allegavisset. Hoc munere perfunctus est Doctor Nicolaus Monterius Collegiatæ Cedofetæ Prior, qui propositis, ad causæ nostræ ostendendam æquitatẽ, pluribus validisque rationibus, speratũ inde fructum non consequutus est: immo sanè, haud dispari modo quem supra narravimus, in publicâ urbis viâ, ipso Christi Vicario Curiâque romanâ inspectantibus, ab Regis Philippi Legato Comite Siruelæ, quem globus armato-

 rum

rũm stipabat circumventus, ægre vitam nec sine ope divinâ servavit: nullâ itidem admissi flagitij secutâ ultione.

Elapsis post hunc eventum mensibus aliquot, Innocentius Pontifex in Cõsistorio, Visensem, Egitanẽsem & Mirandensem Episcopatus præconio renuntiavit, collatis motu proprio in eos, quos Rex nominatim delegerat, hisce dignitatibus: Et quoniam Doctor Mõterius intellegebat non eo se instructum esse commentario, ut hanc improvisam confirmandi Episcopos formam posset admittere, quæ profectò Coronæ Lusitanæ juri, & cæteris, quæ nostris Regibus summi Pontifices concesserant, privilegijs haud modicùm officeret, reputato insuper, quod effugerat, vitæ periculo, in quod rursus induere sese non expediret, infectâ re spe- que meliora consequendi abjectâ, ad nos reversus est.

Tot repulsæ neutiquam fuêre impedimento, quominus invictus Rex Joannes, innatâ pietate operâque indefessâ spirituale remediũ subditis adhibendũ curaret: quumque ipse & Ministri ejus intellegerent, quàm frustra omnis labor industriaque Lusitanis cessisset, cõducibile statui rerum suarum putavêre, ut Hieronimus Battalinius regni Vicecollector hac in urbe manẽs, Romam concederet, regimen ordinis Ecclesiastici, cùm per Lusitaniam, tum per loca armis Lusitanis adquisitâ, confusum, sacramentis inopiâ Episcoporũ deficientibus, ac cætera, quæ oculis ipse suis vidisset, narraturus. Nimirum spes eis persuaserat futurum, ut Ecclesiastico ipsiusque summi Pontificis administro, gente Italo, major fides haberetur; amotâ Lusitani & subditi suspicione. Idem quoque in mandatis præcipuè habuerat,

uti

uti exponeret, quàm se curâ, contra quàm Castellanorum diversa mētientium prædicaret vanitas, quàmque firmâ omnium possessione Lusitaniæ Rex frueretur.

Atqui non modò prosperum finem Procollectoris delegatio non sortita est, immo verò plurimum damni peperit. Etenim non factâ illi à summo Pontifice ad hoc regnum potestate remeandi, omnis utique Lusitania remansit Ministro Apostolico destituta, ad quem Ecclesiastici & religiosam vitam professi recurrerent, si quando inter ipsos contentio oriretur. Facultas quoque laicis adempta est, ordinarias, quæ nempe Vicecollectoris potestati suberant, dispensationes postulandi; eoque tandem modo, quàm sæcularis, tam ecclesiastici ordinis viri Romam petere compelluntur, magno paupertatis suæ impendio, vitæque & captivitatis discrimine remedium quæsituri.

Gliscente per momenta spirituali damno, tres Regni ordines, domesticâ calamitate permoti, quum sibi persuaderent nequaquam fieri posse, quin ab universo parente fidelium exaudirentur, Doctorem Emmanuelem Alvresium Carrilium nomine suo delegaverunt, qui sacris Pontificis advolutus pedibus de causæ æquitate verba faceret, expositis, quæ ad rem pertinerent, singulis argumentis: Ille tamen instantiâ multiplici quũ toto triennio Pontificis beatitudinem interpellasset, non mitiora præteritis adeptus est. Contrà certè quod proprio motu de tribus Episcopis antea præconio fuerat evulgatum, aut mutatâ Pontificis mente, aut quia Castellanorum intercessit conspiratio, nullâ re ad finem perductâ, evanuit, desperatoque prorsus negotio coactus est Carrilius Lusitaniam repetere.

Ita-

Itaque quum res ita se haberet, Regi Lusitaniæ visum est posse fieri, nullo ut Ministro Romæ commorante, negotia facilius promoverentur: nemine igitur hanc in rem aliquandiu nominato, industria multiplici, varijsque tum prelo commissis, tum scriptis manu libellis, tantæ calamitati totque malis occurrere molitus est! quem ad finem consequendum, in regni hujusce Protectorem Cardinalem Ursinum nuncupavit, ratus, auxilio Procuratoris è sacro Collegio desumpti, molliora se obtenturum; eâque ipsâ mẽte, Duce Brecciano ejusdem Cardinalis fratre Legato uti statuit, cui viro, utpote sanguine & dignitate clarissimo, pateret ad Pontificem clementior accessus. Sed id quoque successu caruit, omnia, quæ posse convenire videbantur, industriâ Castellanæ factionis impediente.

Attamen, ne ulla occasio, ullusve modus spirituale regni hujus remediũ assequendi prætermitteretur; Serenissimus Rex Joannes autoritatẽ interposuit Christianissimi Regis, qui per Oratores suos, Gallicæque nationis purpuratos Antistites ac Protectorem, sæpissime Pontificum sanctitatem admonuit, quàm justè & Legatum suum admitti, & designatos Episcopos confirmari peteret Lusitaniæ Rex. Sacri quoque Ecclesiæ Gallicanæ ordinis nomine ad Pontificem his de rebus perdoctè scriptum est, missusque privatim Minister, qui eadem coram memoraret, uti in libellis, qui typis vulgati sunt, perlegitur. Atqui frustra fuit tã multiplex diligentia, nihilque valuit ad influxũ adipiscẽdũ, quẽ Christus suas vices gerẽti reliquit in cunctorum fideliũ solatia.

Denique imposito in divi Petri Cathedram beatissimo

ſsimo patre, qui hodieq; in eâ ſedet, Alexãdro ſeptimo, Sereniſſimus piæque recordationis Rex Joãnes ad prima in novo Pontificatu redire tentamenta conſtituit, miſſo, ex ordine ſæculari, ad obſequiũ Pontifici exhibẽdũ, oratore, qui ſimul dãna quoq; recenſeret quæ Chriſtiani nominis populi, in quatuor, ad quas Luſitaniæ dominia ſeſe extendunt, orbis partibus degentes, majora quotidie experirentur, deſtituti Epiſcoporũ regimine, quod Chriſtus in ſ eccleſiã ſuã inſtituiſſet ad ſalutẽ fideliũ. Delectus ad hoc munus obeundũ Franciſcus Sã Cotinius, à privatis ſtatus conſilijs, magni ſanè ponderis negotijs, quæ Legatus in Galliã pertractabat, ſuperſedere juſſus eſt, ut illico Romã cõtẽderet, negotij ſpiritualis, & ideo gravioris momẽti, curã ſuſcepturus: cũ romanã Curiã ingreſſo per ſũmũ Pontificẽ haud licuit Oratoris officio perfungi, ſacratoſq; ejus pedes, Luſitani Regis, ut obediẽtiſſimi Eccleſiæ filij nomine venerabũdè exoſculari. Igitur non vi argumẽtorũ, non proteſtatione ſæpius repetitâ evinci potuit; non experimẽtis, totq; annis ſtabilitâ poſſeſſione fieri, quominus Curia romana Caſtellanæ factionis votis ſubſcriberet. Itaque ad penates Cotinius remigravit, non modò nõ exceptus uti Legatus, ſed ne Epiſcoporũ quidẽ cõceſsã nominatione, quũ ille Põtificis ſanctitati indicaret, extremã, quâ ditio regni Luſitani univerſa premeretur, neceſſitatẽ, & dãna, quæ inde in pernicie animarũ ſequerẽtur, quodq; foret extimeſcendũ vehementer, tot populorum fidem Chriſti profitentium ruinam, ni maturiùs ſubveniretur. Quam ad rem procurandam Cotinius, trium annorum ſpatio Romæ ſubſtitit.

Admonuerat Regem Cardinalis Protector, rebus ita

poſ-

poscentibus, habitâque nonnullorum ratione, conducere, ut Orator Cotinius in Lusitaniam reverteretur; quo semel Româ egresso brevì fore, ut Pōtificis beatitudo Episcopos cōcederet; & hoc quoq; evētu caruit: immo literis postmodū ad Cardinalē missis, factâq; eorū, quæ scripserat, mētione, eo ille rescribendi ad Regē genere utitur, ut facilè possit intellegi, non alium fuisse postulati scopū, quàm ut Legatus romanâ curiâ expelleretur: Quidoquidē eodē tēpore, quo promissa sperabātur, libellus in lucē editus est, & quidē Romæ typis excusus, quo modū agendi cum Lusitanis, uti consentaneū æquitati, scriptor probare, argumētisque similibus veri ostēdere nititur, Pōtificē ad cōfirmandos, quos Rex Lusitaniæ nominasset, Episcopos nequaquā teneri. Quibus perpēsis omnibus colligitur, non esse cordi ministris pontificijs malorum, quæ hanc ob causam latiùs serpunt, remedium.

Ultima hæc negotij cōditio est, quâ sanè æstimatâ, certū videtur adhibitā fuisse, quàm fieri potuit impensissimè, operā diligētiāq; & aditus optato remedio esse occlusos; & quoniā spirituale damnū tā apertè subjicitur oculis, atque adeo sunt extimescenda pericula, quæ inde possunt accidere: Idcirco Rex & Dn̄us noster cœtū hunc convocare statuit, conferēdæ ac discutiēdæ rei causâ, hìc ut qui confident, literarum ope, simplici ac pio affectu animi, prudentiâque suâ seriò cogitent & perpendant, quam tandem remedio quærendo viam ingredi oporteat in ultimâ, quam regnum adquisitaq; dominia Lusitaniæ patiuntur, necessitate regiminis, quod Christus in salutem fidelium instituit.

VLYSSIPONE. *Cum facultate Superiorum.*
Ex Prælo Henrici Valentis Oliueriæ, Typographi Regij. 1663.